

republica perpeffi commendatum apud omnes reddebant . 1511

Post hæc Senatui placuit , ut Gradonicus præfectique equitum prope omnes ad recuperanda ea quæ respublica in Carnis amiserat , se conferrent . itaque pridie nonas novembris Tauriso cum tormentis profecti sunt . postridieque ejus diei Senatus hortatu Hieronymus Saornianus , in urbe qui erat , reliquique illorum oppidorum cives amici reipublicæ in Carnos ad legatum juvandum reverterunt . Nicolaus autem Bolanus , qui Maximiliano magna manu Butistanium , quod est in Istris , obsidente , ejus municipii arcem , cui præfectus erat , militibus se deditibus amiserat , in urbem rediit , ut se ad carcerem sisteret . Eorum autem civium qui propter ejusmodi causas carceri se tradiderant , eo tempore perplures a iudicibus absoluti sunt , atque ad rempublicam admissi . ab Epirotis vero equitibus quadraginta prope Veronam homo Sequanus omnium Maximiliani equitum præfectus , quem *Rosæ dominum* appellabant , interceptus , cum se magno animo defendisset , vulnere in facie accepto , cum non paucis equitibus captus , Pataviumque perductus est : quem quidem legati honorifice exceptum Venetias miserunt : eumque postea e custodia in Patrum collegium a duobus magistratibus adductum , atque ad Principis latus sedentem , Lauredanus ipse reliquique Patres bono animo esse jussum , amantissimis sunt verbis prosequuti : Vicetiaque ad rempublicam rediit . Verum cum annonæ caritas in urbe atque in reliquis reipublicæ oppidis magnopere crevisset : Decemviri legem sciverunt , quicumque se receperit ex maris Adriani a læva regionibus , atque ab Epiro , Acarnania , Aetolia , frumenti aliquem numerum ad urbem advecturum , ei in singula frumenti staria viginti solidos rempublicam dono daturam , atque , ut is tertiam universi frumenti partem venundare in omni sua extra urbem ditio-  
ne possit , permissuram . A Senatu etiam undecim Civi-  
dalis Beluniani civibus , qui se amanter pro republica ges-  
ferant , vigintiquinque agri jugera in Portus Gruarii fini-